

---

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

---

DE  
**ORIGINE SOCINIANISMI**  
AB ECCLESIAE EMENDATIONE  
NON REPETENDA  
RECITATIONIBVS SOLLEMNIBVS  
ET  
DISPUTATIONI PVBLICAE  
VIRI  
MAXIME REVERENDI  
**IOANNIS WEISSENBORNI**  
ARCHI-DIACONI ECCLESIAE IENENSIS  
LONGE MERITISSIMI  
PRAEMISSA  
A

---

**IO. FRANCISCO BVDDEO**

THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.  
ORDINIS SVI HOC TEMPORE DECANO.

---

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS,

Coll. diss. A  
5, 26


a. XV 26.

COMMUNICATIO THEOLOGICO-PHYSICA  
DE  
OCCURSU SOCIETATIS  
AB EGLESIIS MENDACIONE  
NON REPERTA  
REGLIATIONE SOLI  
DISPUTATIONE PABRICE  
V. J. K. I.  
M. A. R. I. M. E. R. E. V. E. R. E. R. I. S. S. I.  
IOANNES WILHELMUS BORNH



IO. FRANCISCO BADDIO  
T. P. O. L. I. S. S. I. M. O. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S. S. I.  
ORDINE S. M. C. T. H. O. M. A. S. I. S. S. I.  
IN S. M. C. T. H. O. M. A. S. I. S. S. I.





Q. D. B. V.

**Q**ui a recto semel aberrarunt tramite, & placita quaedam, quantumuis ab omni veritate aliena, defendere pulchrum ducunt, haud raro, cum rationes, quibus pugnent, defunt, ad conuicia, obtrectiones, mendacia sese conuertunt. Hisce armis & iudaei & gentiles olim pugnarunt contra christianos; quos vtinam! non imitati essent nonnulli ex eorum numero, qui & ipsi christianorum sibi nomen vindicant. Experientia vero docet, eandem prorsus viam ingressos romanenses, quando illis cum beato MARTINO LUTHERO, aliisque purioris doctrinae restauratoribus res erat. Hos enim vt omnibus inuisos redderent, eorumque doctrinam ceu complexum quemdam foedissimorum absurdissimorumque errorum traducere possent, calumniis suis ac obtrectionibus nec finem nec modum posuerunt.\*

A 2

Mul-

\* Admodum follemne hoc est romanensibus, sed omnium impudentiam vincunt IO. COCHLEVS, atque FLORIMVNDVS RAEMVNDVS, quorum in hoc genere & nomina & scripta satis nota sunt. Et hos tamen duces

recentiores isti sequuntur, qui istas repetere calumnias non dubitant. Sed innocentiam LUTHERI praeter VITVM LVDOVICVM SECKENDORFFIVM, qui in *historia Lutheranismi* passim hoc agit, aliosque, ex institu-

Multa autem variaque licet comminiscerentur, vt in LVTHERVUM pariter ac religionem, quam profitemur, euangelicam omnium animos irritarent, nihil tamen aut ineptius, aut ab omni veri specie alienius excogitari potuit, quam dum nonnulli antitrinitariorum errores LVTHERO exprobrarunt, immo ipsam Socinianismi originem a felici ista multorumque votis expetita ecclesiae emendatione repetere non dubitarunt. Nec noua haec est calumnia, aut heri vel nudius tertius enata, siquidem, ad prius praesertim quod attinet, iam dudum hoc fecerunt ANTONIVS POSSEVINVS, GREGORIVS DE VALENTIA, ROBERTVS BELLARMINVS, IACOBVS GRETSERVS, aliique quam plurimi; \* quibus non ita pridem auctor *historiae*

to vindicauit IO. MVLLERVS, in *Luthero defenso, das ist, gründliche Widerlegung dessen, was die Pöbstler D. Lutheri person fürwerffen, &c.* Hamburgi anno MDCLVIII. 8. Cui cum CAROLVS AKREVTZEN, iesuita, libellum, *der unvertheidigte Luther* inscriptum, opposuisset, MVLLERVS iterum *defensionem Lutheri defensi, das ist, der wolvertheidigte Luther, &c.* edidit; Hamburgi anno MDCLIX. 8. Sed addendus omnino vir summe reuerendus atque eruditissimus ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, quippe qui itidem, de moribus LVTHERI differens,

calumnias istas atque ineptissimas obrectationes, non tantum solide refutauit, sed & earum originem demonstrauit, in *apologia pro reformatione*, quae addita est eiusdem *überzeugender Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Pöbstthums, cap. VII. p. 659. seqq.* Ex reformatae autem ecclesiae doctoribus LVTHERI causam in hocce capite non ita pridem egit IAC. LENFANT, in *preservatif contre la reunion avec le siege de Rome &c. tom. I. lettr. XI. p. 277. seqq.*

\* Prouocat ad hosce, aliosque eiusdem generis scriptores, vt LVTHERVUM Arianum fuis-

*Storiae Socinianismi*, quae lingua gallicana Parisiis anno M DCC XXIII prodiit, \* ita accessit, vt simul  
 A 3 Soci-

fe euincat, CHRISTOPHORVS SANDIUS, iisque ex reformatae ecclesiae doctoribus adhuc addit LAMPADIUM, SLADUM, MORTONVM, in *nucleo historiae ecclesiast. lib. III. sect. XVI. p. 423.* Satis quidem inepte. Equis enim credat, iuratos LUTHERI hostes, eosque qui impudentissimis mendaciis suis apud omnes viros honestos & cordatos fidem suam decoxerunt, ad testimonium contra illum dicendum aptos esse? Sed constitutum id SANDIO est, omnia sine vlllo discrimine corradere ac conuectare, tantum vt numerum Arianorum augeat, hominibusque persuadeat, plurimos semper exstitisse, qui istorum hominum impietatem calculo suo adprobauerint. Eisdem equidem auctores in scenam produxit, sed eo animo vt illorum calumnias detegeret & refelleret, (quod & adcurate folideque praestitit) PETRVS ZORNIUS, in libello, quem inscripsit: *Lutherus catholicus, das ist, gründlicher Beweis, daß Lutherus kein Arianer und Socinianer gewesen*

*sey, wie ihm fälschlich Schuld geben die Päßtler, Antonius Possuinus, Gregorius Valentianus, Coccius, Ederus, Bellarminus, Gretserus, Coppenstein, Botzius, Tannerus, Vetterus, Cornaeus; einige aus denen Calvinisten, Lampadius, Sladus; aus den Arianern, Sandius, Lubieniecus und andere &c.* Lipsiae fine anni mentione; qui & cap. II. p. 19. seqq. quantum auctoribus hisce, qui talia de LUTHERO narrant, aut potius mentiuntur, tribuendum sit, disquirat.

\* Multa nobis promittit operis huius inscriptio, quae haec est: *Histoire du Socinianisme, diuisee en deux parties, ou l'on voit son origine, & les progres que les Sociniens ont faits dans differens royaumes de la chretienté; avec les caracteres, les auantures, les erreurs & les livres de ceux qui se sont distinguez dans la secte des Sociniens.* Nec tam copiam rerum, quam *angstBeiau*, interdum & candorem in eo desideres, si quidem infinitis scatere erroribus deprehendet, qui illud euoluere operae pretium duxerit.

Socinianismi originem ab ipsa ecclesiae emendatione deriuaret. Quemadmodum autem inde patet, nec hodie deesse, qui talia repetant, saepius licet iam profligata, immo vix refutatione digna, ita nec nobis, quod ista denuo repellamus, vitio verti potest.

Non

Documento esse possunt, quae *part. I. cap. II. p. 6. seqq.* de variis nominibus, quibus hodie Sociniani insigniantur, auctor adserit. Eos enim *trinitarios, unitarios, tritheitas, antitrinitarios, deistas* vocari, adserit. In quibus omnibus mera regnat confusio, quam explicatione sua non tollit sed auget. Nec quisquam forte vnquam audiuit eos *Pinczouianos, Racouienses, Sendomirienses, Cuiavianos*, appellari. Quod si in Polonia hoc fiat, vt auctor adserit, ab illis hoc fieri certum est, qui iis, quos pro haereticis habent, pro lubitu, & sine ratione nomina imponunt. Quod addit, in Hollandia & Anglia hodie Socinianos vocari *Mennonitas, Arminianos, Cocceianos, Quakeros*, partim ineptum, partim aperte falsum est. Inter Mennonitas esse, qui erroribus Socinianorum imbuti sint, facile concesserim; at inter Mennonitas generatim spectatos, & Socinianos nullum inter-

cedere discrimen, vt illi horum nomine insigniri queant, nemini nisi omnium rerum ignaro, auctor persuadebit. Inter Arminianos itidem esse, qui in quibusdam proxime ad Socinianos accedant, constat. At Arminianos quosuis promiscue Socinianos esse, & ita vocari posse, perperam dicitur. Cocceiani autem qua specie huc referantur, plane nescio. Inter omnes enim reformatae ecclesiae doctores neminem forte acrius Socinianorum se opposuisse erroribus, quam IO. COCCEIVM, & genuinos eius discipulos, illis demum, qui harum rerum plane rades sunt, ignotum esse potest. De Quakeris idem obseruandum, quod de Mennonitis monuimus. Si qui inter eos sint, qui errores Sociniani proprios fouent, quod non negauerim, id tamen de omnibus adseri nequit, multo minus, si quis accurate loqui velit, dicere licet, Socinianos hodie vocari Quakeros. Mito reliqua.

Non equidem auctor iste negat, iam in veteri ecclesia fuisse, qui eadem docuerint, quae recentiori aetate a Socinianis in medium sunt prolata,\* sed hosce non auctores fuisse veteres errores instaurare, existimat, nisi reformatione ecclesiae, a Luthero, Zvinglio, aliisque suscepta, ad hoc inducti fuissent. Confirmat hoc hisce ANDREAE VVISOVVATII verbis: *Postquam orbi christiano nox ista atra errorum in religionem pedetentim introductorum per aliquot secula incubuisset; rursus postliminio, diuina adspirante gratia, dies veritatis diuinae reuertentis, gradatim, vt fieri solet, coepit adfulgere. Lutheri, Zwinglii, Caluini, Mennonis aurorae ac diluculi apparitio praecessit, banc deinceps solis reducis clariores radii sequebantur.*\*\* Addit porro, cum reformatores isti ecclesiae non alium quaestionum theologicarum admiserint iudicem, quam solam scripturam sacram, & non alios ad genuinum eius sensum inuestigandum, interpretes quam suum ingenium; exstitisse inter illos, qui libertati suae sentiendi eousque indulserint, vt tandem non aliam sequi voluerint religionem, quam qualem quisque secundum suum genium ex nuda scripturae lectione sibi efformauerit, nec quidquam aliud credere, quam quod clare & aperte ac sine exceptione in scriptura sacra inueniatur. Cumque voces *trinitas, consubstantialitas*, itemque filii Dei aeternitas, vt & baptismus infantum

\* De veteris ecclesiae antitrinitariis *part. I. cap. I.* differit, sed vt more suo omnia inter se misceat, nec distinguat, quae tamen distinguenda erant.

\*\* in narratione compendiosa,

*quomodo in Polonia, a trinitariis reformatis separati sint christiani unitarii, quae addita est CHRISTOPHORI SANDII bibliothecae antitrinitarior. p. 229.*

fantum in scriptura sacra, ea ratione, qua ipsi se convinci posse putent, non reperiantur, exclusisse eos a fide sua voces istas *trinitas & consubstantialitas*, itemque supremam diuinitatem Christi, consubstantialitatem, itemque aeternitatem, baptismum porro infantum, & quae alia sint eiusdem generis.\*

Ista vero prorsus sine ratione dici, demonstrari facile potest. Idque ut eo luculentius fiat, genuinam Socinianismi primum indicare iuuabit originem. Primum equidem MICHAELEM SERVETVM, gente Hispanum, patria Tarraconensem, fuisse constat, qui damnatos dudum in veteri ecclesia in doctrina de mysterio trinitatis errores postliminio ex orco reuocauit;\*\* a quo licet & alii eosdem hauserint,

\* *part. I. cap. III. p. 8. 9.*

\*\* Si quaeras, unde SERVETVS errorem suum hauserit? respondeo, non utique ex illorum scriptis, qui per veram euangelii doctrinam ecclesiam emendare adnitebantur, sed ex ipso potius alcorano, & e Muhammedanorum scholis. Testis omni exceptione maior est ipse STANISLAUS LVBIENICIVS: *Is apud instar* (de SERVETO loquitur) *cuncta sibi profutura ubique colligens, & ex ipsis ALCORANI, in dogmata quidem de Deo trinuno, & Iesu Christo, summo Deo ex essentia patris ab aeterno generato, tum idololatriam &*

*Mariolatriam grauitate inuehentis, honorem tamen haud vulgarem Christo, ut Dei verbo & legato, magno prophetae, omnium gentium faci in hoc & futuro saeculo, viroque diuina virtute praedito, tribuentis, tribulis mellis materiam exsugebat; in histor. reformat. polon. lib. II. cap. V. p. 96. Nec iniuriam Socinianis fieri, si errorum quos fouent origo a Muhammedanis repetatur, solide ostendit vir eruditissimus MATVRINVS VEYSSIERVS LA CROZE, in dissertationibus historiquis sur divers sujets, tom. I. p. 1. seqq. qui & p. 100. obseruat, vnitarios Transylua-*



rint, praecipue tamen Socinianismi natales in conuentibus illis doctorum quorundam virorum, qui Vicentiae & in aliis Venetae ditionis vrbibus, vt de rebus ad religionem spectantibus inter se colloquerentur, instituebantur, quaerendi sunt. Cuiusmodi autem isti conuentus fuerint, ipsemet STANISLAUS LVBIENIECIVS hunc in modum nos condocet: *Et Italia quidem praestantium ingeniorum officina, vbi tot errorum & superstitionum celsae machinae, merito veritatis caelestis arma apud se conflata ad nos misit. Ex commentariis manuscriptis Budzinii & vitae Laelii Socini curriculo colligo, circa annum MDXLVI in agro Veneto, Vicentiae & in aliis vrbibus non paucos veritati indagandae operam dedisse, & huic fini collegia, & colloquia pia instituisse. Pertractabant hi praecipua fidei christianae capita; vnum scilicet esse Deum altissimum, qui cuncta vt crearit, potenti verbo & efficaci iussu suo, ita & sapienti ac benigna prouidentia sua conseruet; filium eius vnigenitum esse Iesum Nazarenum, hominem verum, at non simplicem, utpote virtute spiritus sancti in casta virgine genitum &c. ceterum dogmata vulgo recepta de trinitate, de Christo Dei, qui sit ipse Deus creator, idem Deus qui pater, de spiritu sancto Dei, qui Deus pariter sit, de iustificatione vel per opera meritoria, vel per fidem solam meritum Christi sibi applicantem, aliaque his similia, esse opiniones per philosophos graecos introductas.* \* Cum vero tandem quid in istis conuentibus

niae, ad alcoranum, tamquam librum religionis suae classicum prouocasse; idque cum FAVSTO SOCINO obiceretur, eum pro-

fus infeliciter hinc se expediuisse, ostendit p. 145. seqq.

\* in histor. reformat. polon. lib. II. cap. I. p. 38.

tibus ageretur, magistratui innotesceret, plerique imminenti supplicio fuga se subdixerunt, ex quorum etiam numero LAELIVS SOCINVS fuit, a quo ceu patruo suo FAVSTVS SOCINVS velut hereditario iure istos errores accepit, qui & tanta diligentia eos vndique disseminavit, vt infaustae istius sectae auctor princeps conditorque censeatur. Ex Italia itaque, praecipua & genuina papatus sede, Socinianismi derivanda est origo. Atque eos ipsos, qui conventus istos instituerunt, homines fuisse romanae ecclesiae sacris addictos, manifestum est. Eos vero per emendationem ecclesiae a beato LVTHERO susceptam ad hoc inductos fuisse, aut occasionem inde accepisse, nec LVBIENIECIVS, nec alius quisquam fide dignus adferit. Longe verosimilius, istos homines superstitione ineptissima ecclesiae romanae offensos, accedente philosophiae Aristotelicae, quae eo tempore in Italia regnabat, abusu, in ista errorum impiorum praecipitia prolapsos esse. Nihil ergo inde, quod nostrae ecclesiae fraudi esse queat, colligi potest.

Non equidem nescio, ipsos Socinianos subinde hanc sibi tribuere laudem, ac si ecclesiae emendationem a beato LVTHERO inchoatam ad summum perfectionis fastigium perduxerint; potuissetque auctor ANDREAE WISSOWATIO, hoc adferenti, etiam STANISLAVM LVBIENIECIVM, \* aliosque addere. Quemadmodum autem istud tantum faciunt, vt speciem quamdam impietati suae concilient, hominibusque rerum istarum imperitis caliginem obfundant; ita &  
dum

\* l. c. lib. I. cap. IV. p. III.

dum hoc ipso a nostra ecclesia se distinguunt, suos nobis minime probari errores, testantur. Et sane tantum abest, vt hocce illorum nostratibus placuerit institutum, vt potius quam isti iactitant perfectiorem ecclesiae reformationem, pro summa corruptione totiusque religionis christianae deprauatione reputent, idque non semel publice fuerint professi. Esto etiam, arripuerint isti ex ecclesiae emendatione occasionem eousque progrediendi; (quod tamen nec probatum est, nec probari vnquam potest) non magis inde exortae impietatis istius culpa in nos transferri potest, quam in apostolos virosque apostolicos, quod eodem quo ipsi euangelii doctrinam propagarunt tempore, Simoniani, Cerinthiani, Gnostici alique haeretici enati sunt, quorum numquam audita fuissent nomina, nisi exstitissent, qui veritatis diuinae lucem per vniuersum diffundere orbem suarum duxissent esse partium. Nec ratio illa, qua probare voluit, cur ex ecclesiae emendatione non potuerint non Socinianorum aut progigni aut promoueri errores, vilius momenti est. Non alium vtique quaestionum ac controuersiarum admittimus iudicem, quam scripturam sacram, aut spiritum sanctum per scripturam sacram ad nos loquentem. Neque alium admittere iudicem possumus. Ad interpretationem autem scripturae sacrae quod attinet, tantum abest, vt omnibus ingenio suo pro lubitu indulgendi potestatem faciamus, vt potius secundum regulas certissimas euidentissimasque, quarum praecipuas ipsa scriptura sacra suppeditat, eam explicandam contendamus. Et hancce qui recte ingreditur viam, eam quoque inue-

niet religionem, non quam quisque ingenio suo conuenire putat, sed quam vnice veram esse scriptura sacra luculenter demonstrat. Aperte enim omnino & sine exceptione ea omnia in scriptura sacra continentur, quae scitu credituque ad salutem sunt necessaria; etiam ea, quae Sociniani, corruptae rationis abusu excaecati, & velut fascinati, se in ea inuenire non posse sibi persuadent. Licet autem voces *trinitas*, *consubstantialitas*, similesque in scriptura sacra non existant; nihil tamen hoc ad rem facit, cum doctrina ipsa, quae hisce vocabulis exprimitur, euidentissime in ea contineatur. De summa autem filii Dei diuinitate, deque eius cum patre consubstantialitate & aeternitate, deque baptismo infantum, ceterisque, quae eiusdem sunt generis, tam perspicue scriptura sacra nos erudit, vt si modo eius ductum genuinamque interpretationem Sociniani sequi vellent, non possent non illa admittere. Quod autem non admittant, & a fide sua eiusmodi dogmata excludant, non aliunde prouenit, quam quod corruptae potius rationis quam scripturae effatis stare velint.

Pergit vero auctor, porroque adserit, noua ista Socinianorum dogmata maximum excitasse strepitum; non vtique apud romanenses, qui nihil aliud ab eiusmodi hominibus, qui ab ecclesia romana discesserant, exspectare potuerint, sed apud Lutheranos & Calvinianos. Plerosque eorum equidem illa detestatos, & acriter magnoque cum feruore impugnasse; nec tamen Socinianis defuisse, quae reponerent, quippe qui principiis aut verbis LUTHERI aut CALVINI vtentes, aduersarios suos ad silentium redegerint.

gerint. Nos vero potiori iure dicimus, ab iis, qui lubricis & incertis romanensium principiis, speciatim traditioni insistent, non talia solum, sed & longe peiora expectanda esse. Bene est, quod fatetur, plerosque Lutheranorum & Calvinianorum strenue acriterque hisce erroribus se opposuisse; hoc enim ut illis honorificum est, ita longe rectius istud facere poterant, quam romanenses, eiusmodi quippe armis, quibus tantum Sociniani vinci poterant, pugnantes. Reponere equidem nonnulla ausi sunt Sociniani, sed tam infelici successu, ut eos ex hoc certamine inferiores discessisse, non possint non agnoscere, qui animum a partium studio alienum, ad haecce diiudicanda, secum adferunt. Ad principia quod attinet, utrimque scripturae sacrae maxime pugnatum testimoniis, fateor; sed, si interpretationem scripturae spectes, diuersa prorsus ratione. Nos enim scripturam ex scriptura interpretandam adserimus; Sociniani vero non tam scripturam, quam rationem ducem sequuntur, & secundum huius, quantumuis limites a natura sibi constitutos transgrediatur, scita, illam explicandam contendunt. In effatis quibusdam LUTHERI, ad quae Socinianos prouocare auctor adserit, nullum illos causae suae inuenire praesidium, statim ostendemus: CALVINI ut in nos suscipiamus patrocinium necesse non est. Habet is suos sectatores, qui causam eius, si illis ita videbitur, agere possunt.

Ad LUTHERVM itaque quod attinet, talia eius exstare effata auctor putat, ad quae, si ab antitrinitariis nobis opponantur, nihil solidi respondere queamus. Quod ne frustra dixisse videatur, sequentia ad-

fert: i) vocem *trinitatis* in scriptura sacra non inueniri, hominesque ex se ipsis eam excogitasse; parum aptam eam videri, rectiusque dici *Deum* quam *trinitatem*; ii) vocem *ὁμοούσιον* a plurimis esse reiectam, ipsumque HIERONYMUM optasse vt aboleretur, nec quisquam de ea amplius loqueretur; & si quis hancce vocem admittere nolit, non tamen inde sequi eum esse haereticum; iii) in versione germanica noui testamenti, omisisse LUTHERVM verba illa Ioannis: *tres sunt, qui testimonium dant in caelo, pater, verbum, & spiritus sanctus; I. ep. V. 7.* iv) in explicatione *cap. I. geneleos* eum dicere, filium Dei esse instrumentum creationis; v) quod filium Dei *heroem* adpellauerit, cum *Deum* dicere debuisset; vi) quod quatuor ante obitum suum annis verba haecce: *sancta trinitas vnus Deus, miserere nobis*, ex litania sustulerit. Atque haecce accusationis capita vti friuola plane sunt, longeque facilius eorum qui ista proferunt, stultitiam arguunt, quam vt euincant LUTHERVM fuisse Arianum, ita auctor insuper noster bona fide ex CHRISTOPHORO SANDIO, sine vlllo examine, ea exscripsit. \*

Et generatim quidem responderi potest, cum in locis scriptorum suorum quamplurimis beatus LUTHERVS suam de mysterio trinitatis sententiam luculentissime exposuerit, immo illud contra quosuis anti-trinitarios acriter fortiterque defenderit, nullum sanae mentis

\* Eodem enim plane modo, quo auctor argumenta haecce, quibus LUTHERVM Arianum fuisse, probari posse, putat, refert in *nucleo histor. ecclesiast. lib. III. saec. XVI. p. 423.*

mentis hominem, eum in hocce capite in erroris aut impietatis Arianae adducere posse suspicionem; & omnia ista, quae adlata sunt, nondum eiusmodi esse, ut alicui hoc persuadere queant. Idque cum tandem ipsi aduersarii, speciatim romanae ecclesiae addicti agnoscere teneantur, nunc ad vnicum solum prouocamus RICHARDVM SIMONEM, qui dum nimium LVTHERI zelum reprehendit, quod ex primis *genesios* verbis mysterium trinitatis contra iudaeos & Arianos probare voluerit, atque IO. CALVINVM laudat, quod exemplo LVTHERI Arianis non adeo infestus sit, atque hisce in istius loci expositione accesserit, quam procul LVTHERVS ab Ariana impietate abfuerit testatur, ceterosque qui Arianismi labem ei adspargere conantur, conticescere iubet.\*

Iam quod speciatim ad vocem *trinitatis* attinet, verissimum est, quod LVTHERVS dixit, eam in scriptura sacra non inueniri; licet res ipsa, quae per eam significatur, in illa exstet, de qua & LVTHERVS non dubitauit. Verissimum itaque etiam est, eam ab hominibus esse excogitatam, etiamsi non negemus, in ecclesia antiquissimam esse, utpote TERTVL- LIANO, CYPRIANO aliisque iam vsurpatam.\*\* Nec prorsus illam repudiauit LVTHERVS, siquidem ipsemet alibi eadem vsus est; sed cum in isto, ad quem, qui eum Arianismi arguunt, prouocare solent, loco,\*\*\* de

\* *histor. crit. vet. testam. lib. III. cap. XIV. p. m. 434.*

\*\* obseruante beato IO. GERHARDO nostro in *exegefi loci de mysterio trinitat. §. LXIV. p. 355.*

\*\*\* in *der Kirchen-Postill, ad euangel. dom. trinitat.* Obiecerunt autem haecce iam pridem LVTHERO, IAC. GRETSERVS, ADAM TANNERVS, alique a-

de hominum rudiorum institutione illi sermo sit, qui vim & significationem istius vocis capere nequeunt, nihil aliud dicere voluit, quam hoc: recte ab usu istius vocis nos abstinere, quoties cum eiusmodi hominibus nobis res est, quippe in quibus erudiendis summae studendum sit simplicitati, vocesque, quantum fieri potest germanicae, quae captum illorum non superant, sint adhibendae. Et quid mirum, si homines rudiores *trinitatis* non recte capiant vocem, cum in genuina eius notione ipsemet *doctor angelicus*, ut vocari solet, siue THOMAS DE AQUINO, \* aberrauerit. Trinitatem enim praecunte ISIDORO dictam voluit, quasi *trium vnitatem*, ut ἐμφαινωσ exprimat illud apostoli: *Et hi tres unum sunt*, I. Ioan. V. 7. Qua in re scholasticorum istum principem errasse, beatus IOAN. GERHARDVS noster, \*\* primo inde euincit, quod Latinorum *trinitas* respondeat Graecorum *τριάς*, quae non includat vnitatis adpellationem; deinde, quod in *symbolo*, quod *Athanasianum*, vocatur, dicatur: *vnitatem in trinitate & trinitatem in vnitatem veneremur*; nec tamen, quisquam ita loquutus fuerit: *trium vnitatem in vnitatem veneremur*; porro, quod veteres vnitatem, siue *μονάδα* in essentia, trinitatem siue *τριάδα* in personis agnoscant, adeoque trinitatem ab vnitatem distinguant: ad quae denique accedat, si trinitas esset trium vnitas, quaternitatem fore quatuor personarum vnitatem. Mitto reliqua.

Alterum adcusationis caput ad vocem ὁμοῦσι<sup>ς</sup> spectat, in quo auctor itidem ROBERTVM BELLARMINVM,

pud PETRVM ZORNIVM l. c.  
cap. III. p. 26.

\* part. I. quaest. XXXI. art. I.

\*\* l. c. §. LXIV. p. 355.



MINVM, \* GREGORIVM DE VALENTIA, \*\* aliosque sibi praeceuntes habuit. Miror autem, eum hic praetermisisse, quod alii valde exaggerant, quod HIERONYMVS de voce ὑποστάσεως dixit, id LVTHERVVM de voce ὁμοσίου accepisse. In quo licet ἀμάχημα μνημονευτικόν lubentes agnoscamus, \*\*\* non tamen erat, vt ROBERTVS BELLARMINVS ideo grandis mendacii culpam LVTHERO impingeret. A plurimis autem vocem ὁμοσίου fuisse reiectam, & haud leues excitasse turbas, verum est, & ex mox dicendis constabit. Cum vero alibi LVTHERVVS dicit, † si quis vel maxime hac voce non vteretur, non posse idcirco pro haeretico aut Ariano reputari, modo rem ipsam secundum sen-

C

ten-

\* in praefat. controuersiar. de Christo, §. sed mittamus.

\*\* lib. de unit. & trinit. cap. VII. p. 146.

\*\*\* Nimirum HIERONYMVS vocem ὑποστάσεως, quae interdum pro essentia vsurpabatur, quae adeo multi in occidentali praesertim ecclesia offendebantur, ferre non poterat, vt patet ex epistola eius ad Damasum papam, quae secundum recentiore[m] dispositionem decima quarta est, tom. IV. operum part. II. p. m. 19. editionis IO. MARTIANAEL. Hoc itaque LVTHERVVS de voce ὁμοσίου accepit. Conferenda quae hac de re monet beatus IO. GERHAR-

DVS noster exegef. loc. de mysterio trinitatis §. LVIII. p. 352.

† Verba LVTHERI, quae in libro contra Iacobum Latomum, tom. II. latin. Ienens. fol. 407. exstant, haec sunt: *Quod si anima mea odit hoc verbum ὁμοσίου, & nolim eo uti, non ero haereticus; quis enim me cogit uti, modo rem teneam quae per scripturas definita est, etsi Ariani male senserint de fide. Non dicit, animam suam odisse hoc verbum; quo etiam ipsemet haud semel vsus est, tom. VII. Ienens. german. fol. 243. tom. VIII. fol. 150. alibique; sed tantum: quod si anima mea hoc verbum odit &c.*

tentiam concilii Nicaeni, & scripturae sacrae effata, teneat, eiusmodi hoc est, ut non videam cur reprehendi debeat. Neutiquam namque usum istius vocis reiicit, sed solum haereticum aut Arianum esse negat, qui voce ista offendatur, modo de re ipsa recte sentiat. Qua quidem ratione nihil adseruit, quod ei vitio verti queat; multo minus in Arianismi suspicionem adduci potest. \* Enimvero & inter veteris ecclesiae doctores, quos patres vocamus, fuisse constat, qui circa usum istius vocis haesitarent, de quorum tamen orthodoxia nemo dubitat. Nec culpandi eo nomine sunt, quod haesitarint, cum iam antiquissimis temporibus haeretici ad errores suos palliandos aut disseminandos hacce voce abusi sint. Saeculo secundo iam audiebatur in Marcionitarum scholis. Hi namque reliquis figmentis suis & hoc addebant, animas rationales esse quasi ἀπόρροιας & emanationes ab ipsa substantia diuina, eiusdem cum Deo naturae, illique coessentiales, quae post hominum interitum ad principium & fontem suum reuerterentur, & in oceano essentiae diuinae iterum cum ea confunderentur. Quod illorum hominum delirium, dum praeter alios ORIGENES reiicit, \*\* Deo aliquid ὁμοούσιον dari, omnino inficiatus est; eo scilicet sensu, quo hoc adferebant Marcionitae. Praeter Marcionitas, & Gnostici cum primis Valentiniani, frequenter hacce voce vsi sunt. IRENAEVS auctor est, docuisse eos,

\* Copiosius haec edisserunt IO. MULLERVS in *defensione Lutheri defensi cap. XII. §. VI. p. 432.* & PETRVS ZORNIVS

in *Luthero catholico Sc. cap. IV. p. 33. seqq.*

\*\* comment. in *Iob. c. XXXVII.*

eos, id quod spirituale erat, *baudquaquam ab Achamoto* informari potuisse, ἐπειδὴ ὁμοῦσιν ὑπῆρχεν αὐτῇ, quoniam eiusdem cum ipso essentiae erat.\* Pari ratione & Manichaei saeculo tertio hac voce in sensu plane peruerso utebantur. Atque hi etiam filium Dei patri ὁμοῦσιν statuebant, non totum quidem, sed vt μέρϑ & ὁμοῦσιν, quasi filius pars fuisset Dei patris, & ex essentia patris diuisibili, & quae instar corporum in varias particulas solui posset, essentia filii manasset & profuisset.\*\* Manichaeis dum se opponebant Sabelliani ad alterum extremum prolapsi sunt, ac filium non κατὰ μέρϑ & κατὰ διαίρεσιν, sed ita omnino Deo patri ὁμοῦσιν adfirmabant, vt vnam & essentiam & personam cum patre constituat, paterque adeo a filio nomine solum, non re, solaque relatione, non quidem interna, sed ad res externas, & intuitu diuersarum adparitionum, distinguatur. Quem istorum hominum errorem cum non minus, quam Manichaeorum commenta, declinare vellent orthodoxi ecclesiae doctores, in meliori saniorique sensu hanc adhibere vocem coeperunt, docentes, filium qua essentiam equidem patri esse ὁμοῦσιν, qua ὑπόστασιν autem siue personam, ab eo non nomine solum, sed re ipsa distingui. An, & quo sensu Paulus Samosatenus hanc vocem adhibuerit? disquirere huius loci non est.\*\*\* Id solum addendum, cum in synodo Antiochena anno CC LXXIII congregata Pauli istius

C 2

\* *lib. I. cap. I.*

\*\* Patet hoc ex iis, quae ex AGAPIO, Marcionitarum & Manichaeorum deliria sectante, re-

fert PHOTIVS *cod. CLXXIX. p. 403.*

\*\*\* disputat hac de re STEPHANVS LE MOYNE in *notis ad varia sacra p. 243. seqq.*

istius errores damnarentur, vocem quoque *ὁμοῦσι* reprobata[m] fuisse, eo scilicet sensu, quo Samosetaniani eam adhibebant, aut Paulus ipse, ut insidias veritati strueret, ea abusus fuerat.\* Cum itaque nemo forte romanensium adseruerit, patres concilii istius Antiocheni haereticos fuisse, ideo quod vocem *ὁμοῦσι* reprobauerint; fateantur necesse est, recte dixisse LUTHERVM, non statim haereticum aut Arianum esse, si quis ab usu istius vocis se abstineat. Ut autem patribus Antiochenis iustae causae fuerunt, cur hanc vocem, non recte intellectam, reiicerent, ita non minus patribus Nicaenis iustae praegnantisque causae fuerunt, ut eamdem reuocarent, & recte acceptam Arianis opponerent. Interim cum nonnullis patrum orthodoxorum Sabellianismum sapere videretur, vix ut eam adprobarent, adduci potuerunt, quos tamen iterum nemo ideo haereticorum numero adscripsit.

Noua inde oritur accusatio, quod LUTHERVS verba ista: *tres sunt, qui testimonium dant in caelo, pater, verbum & spiritus sanctus*, I. Ioan. V. 7. in versione sua germanica omiserit. Id enim destinato eum fecisse consilio, & quidem in gratiam antitrinitariorum, immo suum eum hac ratione prodidisse Arianismum, calumniantur;\*\* cum tamen isti aut malignitatem summam

\* Testantur hoc ATHANASIVS de *synod. Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. 706.* atque HILARIUS *lib. de synodis p. 390.* Addenda quae de fatis huius vocis dixi in *institut. theol. dogmat.*

*lib. II. cap. I. ad §. LI. p. 386.*

\*\* Et hoc saepissime iam, tum a romanensibus, tum ab aliis beato LUTHERO exprobratum fuit, hinc & iam refutatum a IO. MULLERO in *defensione Lu-*

nam animi, aut supinam ignorantiam inscitiamque prodant. Ecquis enim tam rudis tamque imperitus rerum omnium est, qui nesciat, in plurimis codicibus graecis, itemque versionibus haud paucis, praesertim orientalibus, syriaca, arabica, hocce dictum non inueniri. \* Hinc & cum DESIDERIVS ERASMVVS Roterodamensis nouum testamentum graecum ad fidem codicum manuscriptorum euulgasset, in primis editionibus, quae anno MDXVI & MDXIX Basileae lucem adspexerunt, dictum hoc non comparuit, vti nec in aliis editionibus, quae eo tempore doctorum hominum cura prodibant. Eiusmodi ergo codice cum & LVTHERVVS vsus sit, in quo effatum istud Ioannis non exstabat, transferre vtique non poterat, quod in textu graeco non inueniebat. \*\*

C 3

guen-

*theri defensi, cap. XX. p. 609. seqq.*  
itemque a PETRO ZORNIO in  
*Luthero catholico, c. V. p. 39. seqq.*

\* Qui hac de re dubitat, ad-  
eat RICHARDVM SIMONEM  
in *histor. crit. textus noui testam.*  
*cap. XVII. pag. 203. seqq.* item-  
que CHRISTOPHORVM SAN-  
DVIUM in *adpendice interpreta-*  
*tion. paradox. quatuor euan-*  
*gelior. p. 376. seqq.* Neque ta-  
men exinde, quod isti volunt,  
sequitur, dictum hocce non ab  
ipso Ioanne profectum, sed ab  
alio quodam insertum esse. Se-  
cus enim se rem habere, eui-  
denter demonstrarunt beatus IO.

GERHARDVS noster, in *differ-*  
*tat. theolog. bipartita, ex dicto*  
*apostoli I. Ioan. V. 7. &c.* FRI-  
DERICVS ERNESTVS KETT-  
NERVS in *vindiciis nouis dicti*  
*vexatissimi, de tribus in caelo te-*  
*stibus; & qui lingua gallicana*  
idem argumentum tractauit DA-  
VID MARTINI in *duabus dis-*  
*sertationib. criticis, quarum pri-*  
*ma est in vers. 7. c. V. ep. I. Ioan.*  
*altera de testimonio Iosephi &c.*

\*\* Obseruatum viris doctis est,  
cum beatus LVTHERVVS versio-  
nem germanicam noui testa-  
menti ederet, quinque editiones  
graecas typis exscriptas exstis-

guendus est, eodem crimine inuoluentur omnes illarum versionum auctores, qui istud dictum itidem non transtulerunt, omnes noui testamenti editores, qui illud omiserunt, omnes ecclesiae patres, qui illud in commentariis suis non explicarunt, aut illud non vsurparunt, cum in certaminibus cum Arianis res ipsa & occasio istud vel maxime postulare videretur.\*

In

se, Complutensem XIMENIS cardinalis, quae equidem anno MDXIV excusa, sed anno demum MDXXII, quo versio germanica LUTHERI prodit, innotuit; ERASMI, quae anno MDXVI Basileae typis Frobenianis lucem adspexit; Aldinam, quae Venetiis anno MDXVIII impressa est; ERASMI alteram, quae a. MDXIX itidem Basileae typis Frobenianis exscripta; & denique eam quae opera & studio NICOLAI GERBELII Hagenoae anno MDXXI euulgata est. Ultimam ex hisce eam esse, qua beatus LUTHERVS vsus sit, in coniecturis, de codice graeco noui testamenti, quo Lutherus in concinnanda versione germanica vsus sit, Halberstadii anno MDCCXXII editis, probare voluit vir eruditissimus TOBIAS ECKHARDVS; at Frobenianam potius ERASMI a LUTHERO vsurpatam, ostendit PETRVS

ADOLPHVS BOYSEN in dissertatione critica & theologica de codice graeco noui testamenti & consilio quo vsus est beatus Lutherus in consicienda interpretatione germanica &c. Lipsiae anno MDCXXIII. Sed quamcumque siue Frobenianam siue Gerbelianam editionem LUTHERVS adhibuerit, cum in vtraque locus iste desit, LUTHERO, quod eum omiserit, vitio verti nequit.

\* Quod si RICHARDO SIMONI credimus, dictum hocce ante FACVNDVM & FVLGENTIVM in patrum scriptis non comparet, dissert. de codicib. manuscriptis p. 80. Omnes itaque patres, qui ante ista tempora vixerunt, Arianismi suspecti erunt, si LUTHERVS ideo Arianus est, quod dictum hocce omisit. Omnes quoque illi ex romanensibus, qui hoc pro genuino non habent, Ariani erunt,

In gratiam autem Arianorum hoc LVTHERVVM non fecisse, vel inde evidentissime liquet, quod alibi fatis, quam procul ab isto errore abfuerit, demonstravit, quod & ex haftenus dictis abunde constat. \*

Nec vllius momenti est, quod auctor porro obicit, LVTHERVVM dixisse, *filium Dei esse instrumentum creationis*. Eodem enim in loco, \*\* atque ex iisdem Mosis verbis, LVTHERVVS statim mysterium trinitatis atque aeternam filii Dei diuinitatem quam luculentissime probat. *Manifesta hic est, inquit, distinctio personarum. Dicit enim Deum esse, vt sic loquar dictorem, qui*

& cum primis ipse RICHARDVS SIMON, qui in eodem ex sacro codice expungendo omnes ingenii nervos intendit.

\* Sunt equidem qui putant, ab ipso tandem LVTHERO dictum hocce de tribus in caelo testibus suo loco insertum esse. Sed hosce falli certum est, quamquam & incertum sit, quando aut a quonam hocce dictum in versione nostra germanica sit restitutum. A LEONHARDO HUTTERO circa initium saeculi decimi septimi anno MDCVI hoc factum, post GVIL. ERNESTVM TENTZELIVM, adserit IOAN. FRIDERICVS MAYERVS in *historia versionis germanicae bibliorum Martini Lutheri, cap. VI. §. VII. p. 51.* Sed FRIDE-

RICVS ERNESTVS KETTNERVS, qui omnium diligentissime hac in re versatus est, docet, restitutum hocce dictum esse diu ante Leonhardum Hutterum, tacito vel expresso consensu theologorum, a multis theologis, ministris ecclesiae & typographis, non vno ubique tempore, sed per gradus & pedetentim variis in locis & scriptis &c. in *historia dicti Ioannei de sanctissima trinitate &c. Lipsiae anno MDCCXIII edita cap. XVI. p. 198.* Idem vir eruditissimus, *cap. XIII. & seqq. p. 175. seqq.* totum hocce negotium ita confecit, vt vix quidquam addi aut adcuratius de eo dici queat.

\*\* comment. in genes. I. 2.

qui creat, & tamen non vitur materia, sed solo verbo, quod profert, ex nihilo facit caelum & terram. Iam huc adhibe euangelium Ioannis: in principio erat verbum (nam probe facit cum Mose.) Dicit ante mundum conditum nihil erat creaturarum. Deus tamen habebat verbum. Hoc verbum quid est, aut quid facit? Audi Mosen: lux, inquit, nondum erat. Sed tenebrae ex suo nihilo esse vertuntur in illam praestantissimam creaturam, quae est lux. Per quid? per verbum. Ergo in principio & ante omnem creaturam est verbum, & est tam potens verbum, quod ex nihilo facit omnia. Hinc sequitur irrefragabiliter, quod Ioannes addit: hoc verbum esse Deum, & tamen esse distinctam personam a patre, sicut distinctae res sunt, verbum, & is, qui verbum profert. Et tamen haec distinctio eiusmodi est, ut unissima, ut sic dicam, unitas essentiae maneat. Quid luculentius, pro adserenda filii Dei diuinitate, dici queat, non video. Vnde & intelligitur, in latiori sensu LUTHERVM voce instrumenti vsum, prout etiam de eo, qui per se aliquid efficit, vsurpatur; non aliter ac cum Ioannes dicit: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο omnia per illud (verbum) facta sunt, cap. I.3. Cum enim alia vox δὲ instrumentum significet, hic tamen causam efficientem, quam principalem vocant, denotare, positum est extra controuersiam, atque res ipsa docet. Non magis itaque LUTHERO, quod sensu plane innocenti, filium Dei instrumentum creationis vocauit, vitio verti potest, quam veteris ecclesiae doctoribus, cum ministrasse filium in creatione dicunt, quod ab IRENAEO factum constat. \* Sic & TERTULLIANVS patrem cum

\* lib. IV. cap. XVII. p. 304. Alia patrum, eadem ratione loquutionis IO. ERNESTI GRABII. adfert FRAN-



cum filio & spiritu sancto, *quasi cum arbitris & ministris* loquutum, ait, sed addit: *ex unitate trinitatis.*\*

Quid auctor sibi velit, cum & hoc LUTHERO exprobrat, filium Dei *heroem* ab eo adpellari, cum *Deum* dicere debuisset, forte non intelligeretur, nisi aliunde constaret, vitio LUTHERO datum, quod *Es. IX. 6.* vocem *HN* non per *Deum*, sed per *virtutem* verterit. Immo ANTONIVS POSSEVINVS eousque se abripi passus est, vt eam ob causam LUTHERVM non modo Arianis, sed omnino atheis adnumerauerit.\*\* Sed suam ipsemet vir beatus causam hac in re satis superque egit.\*\*\* Per *virtutem* enim personam virtute diuina praeditam se intelligere, diserte proficitur, & supremam filii Dei diuinitatem ex hoc ipso effato luculenter admodum demonstraui. Immo in hocce loco vocem istam *Deum* significare ipsemet alibi docet. † Ceterum cum vox *HN* vtrumque & *fortem* & *Deum* denotare possit, nihil equidem obstat quo minus in priori significatione accipiatur, modo ea id ratione fiat, qua LUTHERVS fecit, cum hoc pacto, quod causam Arianorum iuuet, nihil inde sequatur; lubentes tamen fatemur, rectius in hocce loco per *Deum* eam verti. LUTHERVM autem qui in Arianorum numerum, quod aliter eam transtulerit, referunt, se quid dicant, quidue statuam, nescire demonstrant.

D

Quod

CISCVS FEWARDENTIVS ad *II. p. 385. seqq.*  
*Irenaci l. c.*

\*\*\* tom. III. Ienens. latin. in  
*enarratione Iesaiæ ad h. l.*

\* *aduersus Praxeam, cap. XII.*

† tom. VIII. Ienens. german.

\*\* in *bibliotheca selecta de ratione studiorum &c. lib. VIII. cap.*

fol. 145.

Quod ultimo tandem loco auctor adfert, verba haecce: *sancta trinitas, unus Deus, miserere nobis*, a LUTHERO ex litania sublata, id iam pridem itidem a ROBERTO BELLARMINO,\* GREGORIO DE VALENTIA,\*\* ADAMO TANNERO,\*\*\* aliisque ei exprobratum fuit. Sed si romanenses sibi fas fuisse credunt, litaniam formulis, quibus sancti quamplurimi & beata virgo Maria per manifestam idololatriam inuocantur, dum hominibus tribuunt, quae solus Deus sibi vindicat, foede corrumpere, † non est, quod peccasse LUTHERVM existiment, quod iterum ex litania eiecerit, quae in ea tolerari non debebant, aut quae ab hominibus plebeiis ac litterarum expertibus non recte intelligi posse putabat. Quae autem de voce *trinitatis* mens sententiaque LUTHERI fuerit, & quod eius minime prorsus repudiauerit usum, licet in rudiorum institutione ab ea abstinendum censuerit, antea iam exposuimus. Eoque minus reprehensionem hic promeretur LUTHERVS, quod, vt nonnullis obseruatum, in litania latina, quam in linguam germa-

\* in praefat. controuers. de Christo & in iudicio de form. concord. p. 1539.

\*\* lib. I. de unit. & trinitat. cap. VII. p. 146.

\*\*\* disp. III. in Thomam cap. I. thesi II. p. 137.

† documento esse potest litania Mariae Loretanae, ex qua ROB. BELLARMINVS auctoritate & iussu Pauli V pontificis romani varia omisit, e. g. tur-

ris eburnea, hortus conclusus, Maria Dei & hominum mediatrix, intercede pro nobis, ab omni peccato libera nos domina &c. obseruante PETRO BAE-LIO in dictionar. historico-crit. voc. Bellarminus p. m. 540. conf. & IO. MULLERVS in defensione Lutheri defensi cap. VIII. §. III. p. 304. PETRVS ZORNIVS in Luthero catholico &c. cap. VII. p. 48. seqq.

germanicam transtulit, vox haecce non existit, vnde ab eo istam omisam dici nequit. \* Accedit vero, quod etiam si vel maxime vox ista absit, luculentissima nihilofecius confessio trinitatis in litania ista germanica LUTHERI contineatur; quod adeo, quam procul ab Arianismo abfuerit, demonstrat, simulque omnes conuincit, ineptire eos & meras euomere calumnias, qui talia viro beatissimo obiicere non erubescunt.

Quam inique itaque nobiscum agant, qui vt enati Socinianismi culpam in nos transferant, ab ecclesiae emendatione originem eius repetunt, abunde, vt puto, ex iis, quae diximus, patet. Quemadmodum vero numquam in ecclesia nostra defuerunt, qui impiis antitrinitariorum, cuiuscunque etiam generis fuerint, erroribus obuiam irent, & mysterium trinitatis, cum primis vero veram atque aeternam filii Dei diuinitatem strenue adfererent; ita nec hodie deesse, qui idem facere & queant, & velint, exemplo suo ostendet vir maxime reuerendus atque doctissimus

## IOANNES VVEISSENBORNIVS

ecclesiae apud nos archidiaconus, non vno nomine commendandus. In recitationibus enim sollemnibus, quas recepti mores ab iis, qui honoribus theologicis ornandi sunt, requirunt, *Christum, seruatorem nostrum, verum atque aeternum Deum esse*, ex sacris litteris euincet ac demonstrabit. Quas dum indicimus, de vita quoque atque studiorum, quam tenuit, ratione, vt

D 2

aliquid

\* vid. IO. MULLERVS l. c. p. 304.

aliquid praemittamus nostrarum existimamus esse partium. Lucem autem adspexit Hildesiae, die XXIII Augusti anno MDCXCI, parentes nactus honestissimos, inter beatos nunc triumphantes. Patrem namque post mortem etiam veneratur IOANNEM WEISSENBORNIVM, eo cum nasceretur tempore gymnasii Andreani, quod Hildesiae floret, directorem, deinde autem post alia munera, theologiae doctorem, eiusdemque in hac academia nostra professorem ordinarium designatum, consiliarium ecclesiasticum & consistorialem, sacrorum apud nos antistitem; matrem vero MARIAM SABINAM, natam HORNIAM, ob pietatem virtutesque eximias inter sexus sui ornamenta referendam. Ab hisce cum nihil eorum, quibus saluti filii consuli poterat, omitteretur, omnia quae bonae indolis liberi in votis habere possunt, ab iis sibi polliceri potuisset, nisi patre optimo nondum nouennis puer per mortem praematuram, & tum vrbi huic, tum & academiae luctuosam, orbatus fuisset. Omni itaque praesidio humano destitutus, prouidae Numinis, mortalium rebus prospicientis, curae eo manifestius est expertus documenta. Interim & matris, monitis saluberrimis precibusque indefessis salutem eius promouentis, fidem ac amorem, itemque adfinis optimi HENRICI IVLII LOTZEN, apud Erffordenses ad aedem sacram, quae *mercatorum* dici solet, verbi diuini ministri, & in gymnasio, quod senatus est, ebraeae linguae professoris longe meritissimi, pariter ac fratris IOANNIS FRIDERICI WEISSENBORNII, in eodem gymnasio professoris graece linguae, ob praecleara merita laudandi, erga se voluntatem, studia, benefi-

nefi-

neficia, priuata institutione, aliaque ratione in se collata vehementer praedicat. Parentis autem instar omnino ei fuit frater natus maximus IESAIAS FRIDERICVS WEISSENBORNIVS, theologiae apud nos professor ordinarius, sacrorum antistes, serenissimique ducis Saxo-Isenacensis a consiliis ecclesiae, & rerum sacrarum tribunalis, collega noster maximopere colendus, quippe qui & educationis in se recepit curam, & institutione sua, studiorumque per consilia saluber- rima directione, & sumtuum necessariorum larga sup- peditatione, animum vere paternum erga eum demon- strauit. Primis litterarum elementis initiatus, fidei ac disciplinae beati IO. LAVTERBACHII, scholae, quae heic loci floret, oppidanae eo tempore rectoris, & e- iusdem scholae conrectoris MICH. FRIED. KOPPISCHII, qui non ita pridem ad vitam meliorem transiit, commissus fuit, quorum vterque in eius ingenio formando poli- endoque nihil fecit reliqui. Ad lyceum hinc Eisen- bergense translatus, ductu & auspiciis patruelis sui, iam mortalium rebus morte beata erepti, CHRISTO- PHORI WEISSENBORNII, qui rectoris ibi munere cum laude functus est, non tantum in litteras ele- gantiores, quibus iuuenilis aetas erudiri solet, magno studio se dedit, sed ab eodem etiam, rerum istarum peri- tissimo magistro, cura speciali oratoriae artis, itemque logicae & metaphysicae praeceptis probe imbutus fuit; saepissime etiam praesentibus aulae proceribus, vt & lycei istius inspectoribus, disputando aut orationes re- citando, ingenii vires periclitatus est. Atque hac ratio- ne ita profecit, vt ab iis, ad quos hocce spectabat, ido- neus iudicaretur, qui ad sublimiora accederet, bonaque

omnium voluntate, votisque pro salute eius nuncupatis, dimissus, ad hancce Salanam nostram anno MDCCIX sese contulit, non minori diligentia continuaturus, quae tam pulchre inchoauerat litterarum studia. Ut autem ordine procederet, philosophorum primum adire scholas consultum putauit, ducesque, quos sequeretur, elegit viros longe doctissimos praestantissimosque, in eloquentia & litteris humanioribus IOANNEM CASPARVM POSNERVM, in practica quam vocant philosophia IOANNEM IACOBVM MULLERVM, in physicis & mathematicis GEORGIVM ALBERTVM HAMBERGERVM, quos omnes mortalium non amplius interesse rebus, academia nostra dolet. Sub hisce aliisque eousque progressus in istis litteris est, vt edito anno MDCCX in disputatione de *poenitentia philosophica* publico eruditionis specimine, anno sequenti, philosophiae doctor crearetur. Iam id agendum erat, quod maxime reuerendo candidato nostro praecipue constitutum fuit; quippe qui theologiae se prorsus consecrauerat. Ut nullam itaque in ea proficiendi occasionem praetermitteret, & beati MICHAELIS FOERTSCHII, collegae quondam nostri, post mortem etiam venerandi, itemque viri summe reuerendi IO. ANDRAE DANZII, immo & meis recitationibus variis, magna cum animi attentione interfuit, indeque auide hausit, quae aliquando sibi vsui esse possent. Cum primis autem venerandi fratris sui, nostrique collegae optimi, IESIAE FRIDERICI WEISSENBORNII, scholas, siue dogmaticam, siue polemicam, siue symbolicam theologiam traderet, siue conflictus eruditos institueret, diligenter frequentauit, maximaque ad se  
 inde

inde redundasse commoda grato profitetur animo. Non minus vero & in aliis certaminibus publicis, philosophicis & theologicis, oppugnando, quae ab aliis defendebantur, ingenium atque eruditionem suam demonstravit. Utque aliis quoque inseruiret, & quae ipsemet didicerat, nouis auget incrementis, intra priuatos parietes iuuenibus eiusmodi litterarum cupidis non tantum praecepta oratoriae dedit, sed & rationem orationes quas vocant funebres conficiendi monstravit, immo & quibusdam beati IOAN. GVILIELMI BAIERI nostri *compendium theologiae positivae* magna fide & singulari dexteritate explicavit. In hisce itaque dum eum in modum versabatur, non sine singulari Numinis, res mortalium sapienter dispensantis, directione contigit, vt anno MDCCXVI a serenissimo principe ac domino, domino IOANNE GVILIELMO, duce Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, reliqua, domino nostro longe clementissimo, ad vnanimia amplissimi senatus huius vrbis suffragia, diaconi in ecclesia, quae huius loci est, munus, ei cum luculenta summi fauoris significatione committeretur. Quo etiam cum per Numinis gratiam magna fide, industria, morumque ac vitae probitate functus esset, ab eodem serenissimo principe an. MDCCXXI ad archidiaconi dignitatem euectus est; cui itidem ita praefuit muneri, vt ostenderet omnibus, nihil sibi prius, nihilque antiquius esse, quam diuini nominis amplificare gloriam, suamque & auditorum suorum, doctrinae puritate, ac vitae morumque innocentia, promouere salutem. Quemadmodum autem iam ante aliquot annos ex litteris serenissimi principis ac domini, domini

IOAN-

IOANNIS GVILIELMI, ducis Saxoniae, Iuliaci, Cliuiaae, Montium, reliqua, domini nostri clementissimi, ad ordinem nostrum datis, submissa animi veneratione intelleximus, haud ingratum summo optimoque principi fore, si candidato nostro maxime reuerendo, honores theologici, more consueto conferrentur, ita idem modeste a nobis petenti, eo minus hoc denegare potuimus, quo certius de eius eruditione & in rebus theologicis peritia, exploratione rite instituta, constabat. Cum vero nunc ordo postulet, vt per publica idem omnibus innotescat specimina, in recitationibus sollempnibus, crastina Deo volente luce hora x ad xi ante, & iii ad iv post meridiem instituendis vt antea iam indicauimus, ex decreto ordinis nostri *veram & aeternam Christi diuinitatem*, contra omnes eius hostes, ex sacris litteris demonstrabit; tum vero sub moderamine venerandi fratris sui IESAIÆ FRIDERICI VVEISSENBORNII, dissertatione inaugurali, *reformatorum vniuersalismum gratiae frustra iactatum* exhibebit.

Hisce vero vt prorektor academiae magnificus, prorektor magnificus designatus, illustrissimus comes, professores excellentissimi, & omnes litterarum fautores, florentissimi cum primis iuuenes, in spem patriae & ecclesiae nati, intersint, & maxime reuerendum virum de rebus grauisimis differentem audiant, id quidem est, quod ab omnibus peto atque contendo.

P. P. DIE XV. IULII M DCC XXV.

(L. S.)

Coll. diss. A. 15, misc. 26